PETRUS LOMBARDUS

Klosterneuburg Wende 12./13. Jh.

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=494
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

semper habitura est. Sed ordo servandus fuit, quo Deus voluit ostendere quam bonum sit animal rationale quod et peccare possit, quamvis sit melius quod peccare non possit. Ecce his verbis evidenter astruitur quod post beatitudinis confirmationem erit in homine liberum arbitrium quod peccare non poterit, et nunc in angelis est et in sanctis qui cum Domino sunt. Et tanto utique liberius quanto a peccato inmunius et ad bonum pronius. Quo enim quisque ab illa peccati servitute, de qua scriptum est: Qui facit peccatum servus est peccati, longius absistit, tanto in eligendo bonum liberius fit iudicium. Unde si diligenter inspiciatur, liberum videtur dici arbitrium, quia sine coactione et necessitate valet appetere vel eligere quod ex ratione decreverit.

Sed evidens et sufficiens ratio quare dicatur liberum arbitrium.

De libertatis arbitrii differentia secundum diversa tempora.

Ex predictis perspicuum fit quod maior fuit libertas arbitrii prima quam secunda, et tertia multo maior quam secunda vel prima. Prima enim libertas arbitrii fuit in qua poterat peccare et non peccare. Ultima vero erit in qua poterit non peccare et non poterit peccare. Media vero est hec qua potest peccare et non potest non peccare ante reparationem, et mortaliter. Post reparationem vero saltem venialiter.

De quatuor statibus liberi arbitrii.

Et possunt notari in homine IIII status liberi arbitrii. Ante peccatum enim ad bonum nil impediebat, ad malum nil impellebat. Non habuit infirmitatem ad malum et habuit adiutorium ad bonum. Tunc sine errore ratio iudicare et voluntas sine difficultate bonum appetere poterat. Post peccatum vero ante reparationem gratie premitur a concupiscentia et vincitur, et habet infirmitatem in malo, sed non habet gratiam in bono, et ideo potest peccare et non potest non peccare, etiam damnabiliter. Post reparationem vero ante confirmationem premitur a concupiscentia et non vincitur, et habet infirmitatem quidem in malo, sed gratiam in bono, ut possit peccare propter libertatem et infirmitatem, et possit non peccare ad mortem propter libertatem et gratiam adiuvantem. Nondum tamen habet posse omnino non peccare vel non posse peccare, propter infirmitatem nondum perfecte absortam, et propter gratiam nondum perfecte consummatam. Post confirmationem vero infirmitate penitus consumpta et gratia consummata non vinci poterit nec premi, et tunc habebit non posse peccare.

De corruptione liberi arbitrii per peccatum.

Unde manifestum est quod preter alias penalitates per peccatum illud incurrit homo penam in corruptione et destitutione liberi arbitrii. Per illud namque peccatum naturalia bona in homine corrupta sunt et gratuita detracta. Hic est enim ille qui a latronibus vulneratus est et spoliatus. Vulneratus quidem in naturalibus bonis, quibus non est privatus, alioquin non posset fieri reparatio. Spoliatus vero gratuitis que per gratiam naturalibus addita fuerant. Hec sunt data optima et dona perfecta, quorum alia sunt corrupta per peccatum, id est naturalia, ut ingenium, memoria, intellectus; alia subtracta, id est gratuita, quamquam et naturalia ex gratia sint. Ad generalem quippe Dei gratiam pertinent. Sepe tamen huiusmodi fit distinctio, cum gratie vocabulum ad speciem, non ad genus refertur. Corrupta est igitur libertas arbitrii per peccatum et ex parte perdita. Unde Augustinus in Enchiridion: Libero arbitrio male utens homo et se perdidit et ipsum. *Aug.* Cum enim libero arbitrio peccaretur, victore peccato amissum est et liberum arbitrium. A quo enim quis devictus est, huic et servus addictus est. Ecce liberum arbitrium dicit hominem ami